UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Flavii Philostrati quae supersunt

Philostratus, Flavius

Turici, 1844

Einleitung

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-5613

Visual Library

PROOEMIUM.

De juniore Philostrato in Praefatione egi. Imagines ejus et ratione et oratione cum Flavianis consentiunt, ut intelligas, ad exemplum avi illum se plane composuisse, id quod ipse indicat in prooemio suo, dicens *ἐσπούδασταί τις γραφικῆς ἔργων ἔκφρασις τῷμῷ ὁμωνύμῳ καὶ μητροπάτορι λίαν ἀττικῶς τῆς γλώττης ἔχουσα ξὺν ὥρᾳ τε προηγμένῃ καὶ τόνῳ· ταύτης κατ' ἴχνη χωρῆσαι θελήσαντες ἀνάγκην ἔσχομεν πρὸ τῆς ὅλης ἐπιβολῆς καὶ περὶ ζωγραφίας τινα διελθεῖν κτἑ.* Discrimen quod inter utrumque invenitur, ejusmodi est, quod deprehendas inter auctorem et imitatorem; magis enim senior suus est, magis eloquens, ingeniosus, festivus; recentius quiddam sonat junior, et minus benignam ingenii veniam doctrina compensat, quae in poetarum maxime usu cernitur. Ut avus, duxit et ipse descriptiones suas ex pinacotheca, quam ne significat quidem, nedum ut pictores nominaverit, minime tamen propterea dubitari posse de veritate descriptoris, jam Welckerus docuit.[1])

Quod autem seniori contigit, ut magno lectorum numero suas Imagines probaret, non aeque felix nepos fuisse videtur, sive citationem rarissimam spectas, sive codicum penuriam. Citari videtur ab epitomatore V. Soph. (cf. Praef. Vit. Soph. ed. pecul. XXVIII) nisi hic senioris Imagines alteri cognomini distinguendo a nepote tribuit falso. Praetera nullius memini citationis a vetere scriptore factae. Codices adhuc tres innotuerunt, ex quibus unus tantum optimus est, Laurentianus LVIII, 32, membr. saec. XII, idem, quo Heroicus cum ultima particula Gymnastici parte continentur et a recentiore librario saec. XIV in charta scriptae Imagines senioris. Ex hoc libro passim emendatum est opusculum, quod olim multo amplius fuisse et in plures partes divisum conjicias ex inscriptione illius codicis *Φιλοστράτου νεωτέρου εἰκόνων πρῶτον.*[2]) Nunc id quoque, quod superest, lacunis deformatur, deest exitus primi capitis et initium secundi, etiam ultimi magna pars desideratur. Ceteri duo codd. sunt Vaticanus 87 (v) et Parisinus 1760 (p); illum negligentius contulisse videtur Mercuri, cf. Prooem. Imag. X, 14. quippe qui paucissimas inde lectiones enotavit, easque exigui momenti; Parisini autem lectiones ab E. Millero mihi suppeditatae in primis capitibus tam vitiosae sunt, ut infra conditionem editionum veterum descendant. Propterea plenam utriusque collationem nil profuturam non quaesivi, contentus Laurentiano, quem compluribus locis denuo, nec frustra, meam in gratiam inspexit V. Cl. Fr.

[1]) cf. Ed. Imag. pag. LVII, sq.

[2]) Ea etiam in veteres editiones transiit.

de Furia. Verba valde corrupta saepissime sanavit Jacobsii felicissimum ingenium; alia emendaverunt ante eum Salmasius, Hemsterhusius, Heynius, Piersonus, Wyttenbachius, Hamackerus; nonnulla alleverunt anonymi exemplis Aldinae Gottingensibus et Bernensibus; illis Olearius et Heynius usus est, haec A. Jahn pro amica in me veluntate descripsit. Jacobsii et Welckeri notis eadem atque in senioris Imaginibus explicandis ratione usus sum, atque omnino hic eum modum tenui, quem illic mihi statueram. Indicem codicum in tam exiguo numero omitto, editiones non aliae sunt atque alterius Imaginum voluminis. Quae Jacobsius ex Laurentiano libro recepit, et ipse in ordinem rettuli, lectionum priorum editionum sigla ς indicans, ubi ille nondum ansus erat, optimum codicem sequi, eadem sigla etiam Jacobsianum textum complectitur.